



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Pro Tvendo Sacro Coelibatv Axioma Catholicvm**

**Ceneau, Robert**

**Parisiis, 1545**

Accessio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30468**

## ACCESSIO.

**E**X apologia Erasmi ad Pium Carpenssem, casu se tulit obuiū loc<sup>o</sup> eiusdē Erasmi, qui dum elabi conatur ē manibus persequentis, vnam hanc calumniam, qua sese, si queat, extricet, adinuenit, ita dicens: Vt doceat Pius matrimonium ratum cedere debere professioni monasticā, adducit simile de traditione possessionis, aliāq; frigida monachorum commenta. Sed hæc (inquit ille) est vna pestis theologiæ, ex humanis legibus interpretari diuinas. Nihil perit agro, si rescindatur pactum etiam post traditam possessionem. &c.

Quasi vero donatione transferri dominium, quod reuocari nequeat, prodierit à monastico commento. Ego contra asseruere ausim, diuersum sentire esse hæreticum & apostatarū commentum: cum id iure diuino, naturali, canonico, ac civili caueatur per donationes omnes legitimas irreuocabile in donatarium migrare dominium. Quis enim (vt hinc ordiar) non legit illud ex Paulo, Sine pœnitentia sunt dona dei? Itemque ex diuo Iacobo, Omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminem, apud quem non est transmutatio. Rursum, quid est offerre in toto corpore scripturæ aliud, quã rei oblatæ transferre dominium? vt cum dicitur, Oblatio iusti impinguat altare. Et illud, Honora dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum. Et Paralip. ultimo, Latatus est populus, cum vota spontè promitterent, quia toto corde offerebant ea domino. Alioqui frustra diceretur, Date, & dabitur vobis. Itemq; Date elemosynam, & omnia munda sunt vobis, nisi donatione & rei traditione transferretur dominium. Hoc enim intellexit, qui ait: Stultitia est homini deuotare sanctos, & post vota retractare. An id eum fortasse latet, quod nemo ignorat, esse aliquod anathema, quod iure diuino redimi prohibetur, nedum transferri aut auferri? Vnde & illud non ex commento (vt falso calumniatur) monachorum, verum ex edicto totius ecclesiæ inconcusso prodiit, quod quæ deo dicata sunt, non debent in vsus prophanos transferri. Quid enim aliud voluit, qui ait, Gloriam meã (meo scilicet honori aut nomini rem dicatam) alteri non dabo? Sacilegii pœna in Balthasare docet, quã graue scelus committat, qui deo semel tradita alijs vsibus applicare audeat. Quis igitur tam vecors stupidusque fuerit, qui id secum considerans,



dicere audeat isthæc esse hominum commenta: cum & ius ip-  
 sum naturæ, ciuileque & canonicum, toto ore prædicent do-  
 nationes legitimè factas esse irreuocabiles: adeo ut ius quæsi-  
 tum donatario non possit in alium quempiam eo inuito trans-  
 ferri? Quod autem subiungit, nihil deperire agro, si in alterum  
 transferatur, hoc omnes intelligunt. Deperire tamen domi-  
 no, si res per donationem legitimè qua sita in alium transfe-  
 retur. Iam si donatarius per rei traditionem nihil acquirit, ut  
 quid igitur Erasmus munera quæcumque à principibus obla-  
 ta apud se retinuit? Quæ si quis auferre voluisset, quo maxi-  
 me clypeo ius quæsitum tueri potuisset, nisi eo (quod appel-  
 lat) monachorum commento? Aut igitur quæ dono accepit  
 restituat: aut ingenuè profiteatur, non commentitio, verum  
 iure & eo quidem certissimo & iustissimo tam diuino, quam  
 humano, donatione ac traditione rerum legitimè  
 transferri dominium. Quod si quis negauerit, in eo  
 merito desideres sensum etiam communem. Ma-  
 net itaque apud deum & homines ex dona-  
 tione & traditione rei irrefragabile  
 dominium.